Q. D. B. V.

DE

VVLGATA LATINORVM FORMVLA:

SIC IN FATIS EST,

DISSERIT,

CVM AD

SOLEMNIA

GYMNASII ELBINGENSIS

AESTIVA

D. XIII. SEPT. A. O. R. MDCCLIII.

MORE HORISQVE CONSVETIS

CELEBRANDA

PERMAGNIFICOS ET AMPLISSIMOS

VRBIS

PROCERES,

CETEROSQVE

MVSARVM FAVTORES,

OMNI, QVO DECET, OBSERVANTIAE CVLTV

INVITARET

IOANNES LANGIVS,

RECT. P. P. ET BIBL.

ELBINGAE, LITTERIS PREVSSIANIS.



Fatalis jam volvitur annus, in quo tria abhinc ſecula, anno ſcil. P. C. N. MCCCCLIII. d. XXIX. Maji, Conſtantino Palaeologo ad gubernacula orbis in Oriente chriſtiani ſedente, imperio, imo eccleſiae Salvatoris, in hac mundi parte collectae, excidio tam ſplendidae urbis Conſtantinopolitanae interitus omnino parabatur triſtiſſimus. Metropoli enim imperii Byzantini, in cujus conſervatione omnis Chriſtianorum in Oriente ſalus poſita erat, ductu Muhammedi II. crudeliter ſubverſa, flammisque pene deſtructa, Turca non Aſiaticas modo regiones, poteſtati Imperatoris Conſtantinopolitani hactenus ſubjectas, ſed lautiſſimas etiam in Europa provincias debellatas, in ſuam, proh dolor! redegit ditionem. Quo facto tanta immaniſſimus & deterrimus chriſtiani nominis hoſtis victoriae adficiebatur laetitia, quanta respublica chriſtiana ob cladem ſuorum triſtitia, injuria & calamitate. a)

Hinc

---

a) Conf. *Aeneae Sylvii*, *Jo. Cuſpiniani*, aliorumque *de capta Conſtantinopoli* habitae *orationes*, quae ſub tit. *Conſiliorum bellicorum contra Turcas explicatorum*, *Isleb.* 1603. junctim prodierunt.

Hinc omnibus quidem mirum videtur, confiderantibus, qui venerit, ut, cum totius orbis chriſtiani res ageretur, potentiſſimi Europae Principes ad debellandas & in primo ſtatim limine deturbandas Turcarum vires non ſua conſilia, ſuaque contulerint arma, nec tanto ardore, tantaque, ut decet, virtute Muhammedanorum conaminibus obviam iverint: ſed majori abripimur admirationis affectu, quoties tacita mentis veneratione penſitamus, quod & Mariani Ordinis Sodalibus, qui ad frangendos coërcendosque Saracenos convenerunt, & aegrotis quondam auxilia, ſanioribus vero & valentioribus animum dederunt, idem annus, quem Chriſtiani in Oriente triſtem ſenſere, pari ratione in Pruſſia fatalis exſtiterit. Nam ad inclutas illas, MCCCCLIV. d. IV. Febr. Thorunii datas clarigationis litteras, quas ad Magiſtrum Ordinis Teutonici Nobiles & Civitates Vnionis in Pruſſia miſerunt, jam anno quinquageſimo tertio ſeculi decimi quinti poſita fuiſſe initia, a Majoribus accepimus. b)

Quae ſi accuratiori animi lance perpendimus, nobis utique fatendum eſt, ita in fatis fuiſſe, c) ut & imperium Conſtantinopolitanum, Saracenis infeſtum inviſumque everteretur, & foedus Cruciferorum, contra illos initum, uno fere eodemque anno irritum caſſumque redderetur. Sed ne legentis aures animumque offendamus, dum fati rationem habemus: d) noſtrum erit, ne Stoi-

b) Conf. *Waiſſelii Chronicon* der alten Preuſſen und des Ordens, f. 174. Schützens *Hiſt. rer. Pruſſ.* de A. 1453. p. 184. &c. Hartkn. A. u. N. Pr. p. 314. 315. *Leonis Hiſt. Pruſſ. L. V.* p. 265. &c.

c) Qua ratione & *Ovidius. Metam. L. I. Fab. IX. v.* 17. canit:

Eſſe quoque in fatis reminiſcitur, affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia coeli
Ardeat.

Cui dicendi formulae reſpondet effatum *Juven. Satyr.* IX. 32. Fata regunt homines, illudque *Senecae in Oedip.* v. 977. fatis agimur, cedite fatis. Add. *lib. ſub tit.* v. Frage: Hat Gott alles beſtimmt? in einer Unterredung unterſucht. Nordh. 1753.

d) Quod in formularum uſu omni opus ſit circumſpectione, docent *Vrbanus Regius* in tr. *de formulis quibusdam caute loquendi*, & *Jo. Henr. a Seelen in Miſcell. Comment. XI. de formula Germanorum votiva:* Wolte Gott! *caute adhibenda.* Add. *Briſſonius de formulis & ſolemn. Pop. Rom. verbis.*

corum forſan caſtra intraſſe videamur, paucis indicare, nec DEVM nec homines a ſapienti omnium rerum mutatione & regnorum viciſſitudinibus excludendos eſſe. e)

Ea rerum humanarum indoles eſt, ut, quae modo cunque videmus, mutationis legi ſubjecta ſint, & quae quondam orta deprehenduntur, certo temporis ſpatio exantlato rurſus intereant. Imo fluxa ac caduca loquitur natura & quotidiana comprobat experientia, multa, quae olim firmiori ſubſtrata fundamento aetate longe duratura digna fuere, tandem periiſſe & opinione citius adſpectu oculisque ſe noſtris ſubtraxiſſe. Hinc non ſinguli modo homines, non integrae familiae, f) ſed gentes quoque maximae vanitatem & interitum loquuntur. g) Nonne enim antiqua Aſſyriorum gloria abolita eſt? Nonne incolae Canaan ab Iſacidibus pulſae: hi viciſſim a Babyloniis e ſedibus ſuis transportati & tandem a Romanis victi, patriam ſolumque natale aliis reliquerunt? Nonne Graeci, Romani, Hiſpani, Galli per Barbarorum in imperium invaſionem exſtirpati perierunt & in ipſorum ſedes Alani, Hunni, Longobardi, Gothique ſucceſſerunt? Sicuti enim in locum aquarum ſemper defluentium novae quotidie ſuccedunt, & fluctus fluctum ſequitur: pari ratione & populi, maris turbulentis inſtar exaeſtuantes, perpetuis bellis & migrationibus ſe invicem trudunt, ita ut hoc Juvenci effato h) nihil verius, certius nihil ſit dictum:

Immortale nihil mundi compage tenetur,
Non orbis, non regna hominum, non aurea Roma,
Non mare, non tellus, non ignea ſidera mundi.

Has vero rerum humanarum viciſſitudines ex variis, iisdemque ſaepe diverſiſſimis promanare fontibus, non ignoramus. Quae enim

---

e) Add. *Werckmeiſteri Progr. de periodis Imperiorum fatalibus, in Bidermanni Sel. Schol.* Vol. I. Faſc. I. p. 203.

f) Vid. *Hamelmannus de familiis emortuis,* & *Lindenſpur de fatis familiarum.*

g) Cujus rei vel evidentiſſima paſſim proferunt exempla *Auctores* der allgemeinen Welthiſtorie.

h) In *Hiſtoriae evangelicae* Lib. I. v. 1. 2. 3.

enim vis contagioni inſit, & quae hominum juxta ac terrarum permutationes a diluvio non dicam univerſali, ſed particulari ſaltem pendeant, facilis eſt conjectura. Adhaec immaniſſimi hoſtis oppreſſionibus reſiſtere & vim vi repellere, non ſemper licitum eſt. Hinc nulla Trojae incolis ſalus, nulla pax erat, usque dum urbis excidio Helenae raptui parentatum fuit. i) Et nonne hiſtoriarum adhuc nos docent annales, Aſſyrios Medosque Perſarum, Perſas Macedonum, tandemque Saracenorum & alios aliorum armis plane exſtinctos fuiſſe, ita ut ſuperata gente altera, altera per novos colonos in illius ſedem & ſtirpem & linguam propagaverit ſuam. In laudem equidem ſaluberrimae doctrinae Evangelii vertitur, victorem chriſtianum, barbarie & immanitate in hoſtes per illam paſſim orbe expulſa, non ad internecionem usque victos perſequi; aſt ea in hodiernum adhuc diem belli virtus eſt, ut gentes, ſi non penitus delentur, victae tamen cum victoribus, ſicuti Sabini olim cum Romanis, k) ſaepe coalant & nomine antiquo, moribusque patrum ſuppreſſis, aliorum ſacra & linguam, regimen & leges, arma veſtesque aſſumere cogantur.

Sed alia inſuper ſunt fati omnia evertentis rationes, quas ipſimet ſubminiſtrant homines. Horum enim peccata divinam ſaepe provocant vindictam, quae in ſocietatem humanam bella, peſtem, fera animalia, & id genus alia ſaepenumero immittit. Ecquis enim comminationes divinas, l) in Moſe & Prophetis obvias irrideret, easque fruſtraneas & inanes judicaret? Vel ipſa terra Iſraëlitica mox Babylonici Regis vel Aſſyriorum ſceptro, mox Imperatorum Romanorum legibus, imo Turcicae tyrannidi hodienum adhuc ſubjecta teſtatur, a populo, DEVM peccatis ſuis quotidie offendente, poenam utique ſumi graviſſimam.

i) Conf. der allgemeinen Welthiſtorie IV. Theil, XIII. Hauptſt. VII. Abſchn. §. 768. &c. &c.

k) Vid. *Florus in epit. rerum rom.* & *S. Aur. Vict. de viris illuſtr. urb. Romae, c. XXXIII.*

l) e. g. 2 *Reg. XVII*, 23. *Jer. XVIII*, 7.

Haec vero inter peccata, perniciem gentium accelerantia, non ultimum ſibi vindicat locum ex ambitione promanans populi alterius contemtus. Cum enim gentes, qualis etiam cunque inter illas vigeat regiminis forma, nihilominus ſint aequales, liberae & nulli alteri obnoxiae: m) hoc Jure naturae violato, funeſtiſſimi inde oriuntur malorum rivuli. Contemtus enim alterius parit odium: odium ad arma capienda provocat: arma vero non niſi ſanguine civium prius imbuta deponi ſolent. Hinc non nefas ſaltem ducitur, gentem alterius dominii deſpicatui habere: ſed quid quaeſo turpius, quid triſtius audiri poteſt, quam ejusdem vitii ſtimulis locum dare & inſatiabilem in cives quoque exercere tyrannidem. Quo quippe facto aurea ſolvitur libertas & ſecuritas violatur publica, illudque quod Principem inter ac cives viguit foedus atque vinculum, irritum redditur & fruſtraneum. Illius enim conſilia ſubditorum olent perniciem, & quae cives in ſalutis publicae emolumentum capere debent arma, iisdem audaces contra Superiorum auſus ituri & ad bellum civile properaturi utuntur, non ut imperium avitum viribus ſuis confirment, ſed ut turbent, tollant & evertant. Imperium enim, quod multa ſecula intaminatum ſartumque floruiſſet & ad conſumationem dierum usque ſtare potuiſſet, ruit, quam primum ſpes concordiae abrumpitur & infelix diſcordiae lolium dominatur. n)

His vero interitus publici cauſis ſegnitiem quoque, vecordiam & cum illis conjunctam populorum libidinem, injuſtas licet bellorum cauſas, addere quid vetat? Nedum enim, quod voluptatibus & otio dediti nullum cum virtute, animique magnitudine habeant commercium: o) hiſtoriarum loquuntur monumenta, per pigritiam ac libidinem, fontem omnis mali, imo & interitus populorum ſcaturiginem, alios etiam provocatos fuiſſe, ut antiquos regionis poſſeſſores exſcinderent & ſervitute domarent. Sic reliquas inter hanc

---

m) Vid. *Caſp. a Rheden compend. J. N. & G. P. II. c. VIII. §. 2.*

n) *Luc. XI*, 17.

o) Vt *Cicero* loquitur *in Cat. Maj.* c. XII.

hanc quoque cauſam Hiſpanis quondam fuiſſe, priſcos Americani orbis populos exſtirpandi, fama fert. Et quamvis Jus naturae nefas eſſe ſtatuat, tranquillos eosdemque veteres terrarum poſſeſſores, qui non aliud niſi pigritiae, voluptatis & idololatriae crimen ſubierunt, patriis ſedibus expellere: p) expulſos tamen vel hoc titulo ab Hiſpanis fuiſſe Mexicanos & infelices Indiae Occidentalis cives, ad unum norunt omnes. q)

Quae ſi quis accurata mentis trutina examinat, facile animadvertet, nos, excidium urbis Conſtantinopolitanae triſtiſſimum, magnamque regiminis Pruſſici reformationem in fatis fuiſſe affirmantes, nec ad caſtra Stoicorum tranſire, r) nec Peucero pellicem premere, qui annos rerum publicarum & imperiorum climactericos, civitatibus regnisque maxime funeſtos, atro notavit carbone. s) Ecquis enim tempori tantam vim tantamque facultatem adſcribere vellet, ut illi omnem regnorum mutationem ac everſionem ſubjectam eſſe crederet. t) Sed trito huic noſtrum ſi addimus calculum: judicamus, in fatalibus regnorum periodis ac negotiis, viciſſitudinibusque publicis conſtituendis ut divini decreti atque providentiae, ita mortalium quoque libertatis rationem eſſe habendam. Ea enim conſiliorum DEI eſt natura, ut actionibus hominum ab aeterno praeviſis illa quoque reſpondeant. Sicuti hinc nihil temere, nihil inordinatum, fruſtraque nihil in hac rerum univerſitate unquam factum eſſe, affirmari poteſt: ita DEVS, quae futura ſunt & quae facturus eſt Ipſe, non modo novit omnia, ſed ut fiant quoque, rebus mortalium perſpectis, decernit. Hac ratione ſuam in humanum genus benignitatem declaraturus, graviſſimos componit populorum motus & ad judicia ſua exercenda exſtir-

---

p) Vid. *Puffendorff de J. N. & G. L. IIX. c. VI. inſp.* §. 5.

q) Conf. *Barth. de las Caſas tr. de vaſtatione Indiarum & crudelitate Hiſp. ibidem perpetrata.* It. *de Herrera deſcr. Indiae Occid.*

r) Vid. *Senecae libr. de providentia, c. V. & Thomaſii exercit. ſtoic. diſſ. XIII.*

s) In *tr. de divinat.* p. 22. ſeq.

t) Add. Brunners Abbildung des göttlichen Geſchicks. *P. I. c. VI. Sect. I.*

exstirpat unam, dum aliam plantat gentem, quam rursus auctam & radicatam ob praevalentia peccata iterum exscindit. Jam facile est conjecturatu, cur Christianorum in Oriente imperium pristina sede, quiete, gloriaque privatum, & antiqua regiminis forma, quam Cruciferi quondam introduxerunt, a Nobilibus Civitatibusque Vnionis in Prussia sit mutata.

Totus in eo per biennium fuit VIR CLARE DOCTVS, DN. IO. DAN. HOFFMANN, GYMN. CONR. & P. P. MERITISSIMVS, Nosterque COLLEGA HONORATISSIMVS, ut in duobus actibus aestivis res a Mariani Ordinis Sodalibus partim ante illorum in Prussiam, partim in Prussia ipsa statim post adventum gestas, more suo i. e. erudite delinearet & memoriam tantorum Domus Teutonicae Equitum renovaret. Dum vero in praesenti *legum legendarum & juventutis lustrandae festivitate* coronam civium scholasticorum, *de rebus Equitum Ordinis Teutonici in Prussia florescentibus* verba facturorum, in arenam iterum adducturus est Ipse, facile divinat animus, fore ut ex calamo Ejus erudito non nisi egregia & in historia Patriae notatu dignissima simus audituri.

Date itaque, VIRI PERMAGNIFICI, GENEROSI, AMPL. CONSVLTISSIMIQVE, DNN. BVRGGRABIE, PRAESES, PRAECOSS. ATQVE COSS. MAECENATES ET ATHENAEI HVIVS NVTRITORES, omni laudis ac venerationis genere prosequendi: date reliqui etiam EXPERIENTISSIMI, PLVR. REVERENDI, CLARISSIMI, PRAENOBILES, NOBILES, SPECTABILES, HVMANISSIMIQVE LITTERARVM AMANTES ET PROMOTORES: date, inquam, quotquot PATRONORVM ac FAVTORVM nomen geritis, veniam nobis, praesentiam Vestram honorificentissimam ad solemnia aestiva rite celebranda quam submississime expetentibus, & rem Gymnasii Vestri Vobis adhuc curae cordique esse declarate.

P. P. Elbingae, d. XII. Sept. MDCCLIII.

